



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

De voto paternæ mortis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

ceptoris dicto Cajo debet e recognosci Titium Maritum Beite ut patrem, est in Tomo de Sacramentis &c. in Tractatu de Irregul. cap. 10. §. 2. his verbis.

Qua ratione dubitatio de illegitimo Natali remo-ueatur.

TAMB. num. 1. Qui natus est (inquit) ex Coniugata præsuntur legitimus. nisi contrarium clare appareat, siquidem possidet tunc, esse Filium ex matrimonio. Is enim in iure Filius est, quem Nuptia demonstrant l. quia Mater ff. de in ius vocando. Et in dubiis (ut notant Menochius, Mascardus, Merolla) semper præsuntur id, quod honestum est. Hæc ibi.

Si ergo Cajo, donec contrarium clare appareat, legitimus se tenere debet, non poterit ex Germana nostri Thomæ doctrina, quacumque probabilitate positâ, Titium suæ matris maritum non revereri ut Patrem.

CAPVT X.

De matrimonio Filii inconsulto Patre.

1. BARON. IX. Indulget etiam illis (Filiis) Insecundum matrimonium cum dispari, Patre inconsulto, & invito.

Quam aride id affers, ad excitandum odium & Verum lege quam plene & sapienter Tamburinus ratiocinetur ex S. Thomæ principiis. Tu vero, ut meum Thomam suggilles, nihil pensi habes, deferre tuum S. Thomam, quamvis ejus doctrinam sequi profitearis.

2. TAM. Certum, exploratumque est (ait l. 5. in Decal. c. 2. §. 3. num. 2.) si filii invitatis parentibus ineam matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare lethaliter: immo ne venialiter quidem, si prius modeste à parentibus facultatem petierint, tamen si nequaquam exoraverint. Ratio potissima est, quia in electione status, & maxime matrimonii, filiis nemini subduntur. Ita S. Thom. in 4. d. 29. q. 10. art. 4. Ita Sanch. lib. 4. de matr. d. 22. numer. 4. Ita cæteri.

Hinc regulariter non tenetur Filius implere sponsalia, quæ absque ejus consensu pater promisit, sic enim teneretur ad matrimonium. Agit de hac re dilucide Sanch. ibid. d. 23. num. 3.

3. Hinc etiam merito Tridentinum sess. 24. cap. 9. de refor. matrim. ipso facto excommunicat impediētes matrimonia; quæ excommunicatio licet solum sit contra eos, qui cum habeant iurisdictionem fori externi in subditos, eos à matrimonio injuste impediunt, ut clare colligitur ex contextu Trid. quales sunt Episcopus, & princeps secularis (excipitur Rex, & Imperator, quia hos oportere exprimi, excipitur item Parochus, quia fori æterni iurisdictionem non habet in suos) tamen tam rigida prohibito ostendit sensum Ecclesie volentis, ut matrimonia impediuntur. Et merito, nam, independentem à lege positivâ, & se culpa mortalis est, impedire in re gravius alterius. At vero, ut diximus, in status electione quilibet sui iuris est, atque adeo nec à suis, nec ab alio si peccatum mortale non vitare velint, impediendus.

Dixi (injuste) nam quando adepti ipsa causa, ut patrimonium est indignum, vel quid simile, ut patrimonium, vel amicus modis variis adque in, vel in ne comprobata, leg Sanchez ibid. sententia ipso laudat, cultas igitur soluta superest, d. 22. numer. 7. sollicitate contrahere, patre, vel genitrice dissentientibus, quidem licet aliquibus videatur non posse, atque sit contra, Navarrius alique Sanch. l. 4. de matr. d. 22. in fine. Fateor tamen probabile item esse, ac rationem, quod no liberum esse, nec alicui subiacere in hac. Adde S. Thom. 2. 2. quaest. 104. art. 5. in corp. In iis, quæ ad propriam poris sustentationem attinent, omnes homines est, pater, & que adeo, ne filios quidem in his duobus subiacere parentibus. Et recte docet Sanchez, adeo filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum nubile valeat, etiam in digno, & sine patris consensu, ne alius matrimonii libertas impediatur, deinde que pueri a se occidit de quenda.

5. Illud adverte esse conveniens, ut saltem à Patre filium petatur, siquidem in re tanti momenti, consilium explorare, licet sine obligatione sequendi, quamvis Sanchez loc. cit. arbitretur peccare mortalem filios, si, in matrimonii eligendis, à Patre consilium non exposcant; ego tamen, pater tanto non sententia non assentior. Ve quid enim tantum pater talis onus, si eis tandem consilium patris respiciatur cedatur? Adde primo, si non causa consilii tam docere de meo matrimonio deo, posse fortasse ad prudentiore viro illud petere, & sic non indignum tertio.

6. Adde Secundo. Cum nos, & ipsius Sanchez, & gamus in presentia de filii voluntas contrahere tam dignis: si sub mortali obligaremus filios ad patrimonium exponendum, illos regulariter conquirentes in pericula rixarum. Certum enim erit, Patrem cum dictum, cum agatur de sua familia decore; multo magis si consilium supponitur filius in arrepto proposita intra patris apertum consilium, quam consilium eere factam testam servare posse, merito fatetur Sanch.

Satis ergo fore videtur, curare, ut ignorent, quam ut noscat, & coram, ejus arbitrium dicatur.

7. Prudenter paulo post, Tamburinus sic monet.

Hæc dicta sunt, quando ex ejusmodi matrimonio non metur fore, ut sequantur graviora mala, sive scandala, sive alia incommoda, tunc enim, ut notat Sanch. l. c. non contra Charitatem, ex alio capite, quam ex solo patris involuntario, peccati labe, posset emergere.

CAPVT XI.

De Voto Paterna Mortis.

1. BARON. X. Permittit filius vota paterna mortis, ut vacuum hereditatem accipiant.

Verba hæc sunt accusantis, sed que sequuntur sunt verba innocentis Rei.

2. TAMB. Inquire primo, an sicuti (ait l. 5. in Dec. c. 1. §. 2.) inimico licet velle malum punitionis modo dicto, ita universim possit quis proximo malum ex aliquo motivo desiderare?

Resp. Certe non statim ac illud licet, sequitur & hoc licere, nam inimico desideratur illa punitionis pena, quam iuste meretur, ac proximo nullam merenti penam malum desiderare, iniquum per se est. Id ergo diligentius excutere hac occasione, ne gravemur. Et solent quidem offerri exempla. An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse filius paternam hereditatem fruatur? An mater possit desiderare mortem filia, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Pralati, ut Prælatum ipse succedat, vel ut ab eo Prælatum sibi insensu liberetur? & similia. Si solum desideres, velcum gaudio excipias ejusmodi effectus, hereditatem, molestia carentiam, Prælatum, &c. Facilis est responsio. Licet enim hæc optas, vel amplecteris, quia non gaudes de alieno malo, sed de proprio bono. Certe non potest quis licite gaudere de fornicatione, de comestione carnis, ut festo die veniat, &c. nec illa desiderare, ut tunc fiant, quia gauderet de peccato, illudque desideraret. Lege Castropal tom. 1. tract. 2. d. 2. punct. 10. §. 2. num. 21.) tamen posito, quod hæc cum peccato quis commisit, potest de habita prole sibi complacere, deque viribus refectis, quia non de peccato gaudet, sed de effectu sequuto, qui bonus est: Ita in casu nostro.

4. Rursus, si desideres sub conditione, facilius item est responsio, licet posse. Si quis enim hunc actum eliciat. Si meus pater moreretur, ego hereditatem potirer. Si mea filia occumberet, ego molestia liberarer, & gauderet ille tunc non de patris, vel filia morte, sed de hereditate, deque molestia carentia, culpam odii non committeret, utpote qui simili modo de bono suo gaudeat, non autem de alieno malo.

5. Denique, si absolute desideres in hunc modum. Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut causa boni mei, nimirum quia ex illius morte ego ejus hereditatem adibo. Vel sic. Vinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas sollicitudines excutiam, &c. Si inquam, hæc desideres, major est resolvendi difficultas, quia tunc eligis malum velle illis, quamvis ut causam tui commodi, quod non videtur culpa vacare.

6. Et ita quidem patet Bonacina tom. 1. d. 4. circa 4. Decal. præceptum q. unic. p. 3. n. 3. his verbis: Secundo sequitur, illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis parentibus exoptat. V. G. cupiendo illis mortem, ut quamprimum in hereditatem succedat. Ita Sylvest. Navarr. Graff. Reginald. Tolet. Clavis Regia, Molfes. Hæc Bonacina.

7. Nihilominus Castropal. tom. 1. tract. 6. d. 4. de Charit. p. 1. num. 11. postquam firmavit, posse malum proximo desiderari propter bonum iustitiae, vel bonum publicum, vel ipsius proximi, unde licet ex zelo iustitiae desiderare punitionem, & condignam mortem malefactori, gaudere de morte peccatoris scandalosi, qui non amplius erit causa ruinae plurimorum, cupere effrenato filio mortem, ne longiore vita graviora peccata committat, graviusque condemnetur, optare patri seni, infirmoque, vel filia inopi mortem, ne in tormento vivat, & similia; quia hæc desideria sunt finaliter de bono proximi, non de malo postquam hæc firmavit, sic addit. Credo, sicut debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem

ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, inde sequutum. Sic docere videtur Emanuel Sæ, ubi absolute dicit, te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Reip. bonum, & honestum, & hosti tibi, alioqui valde nocivo mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum. Item de morte ejus gaudere ob bonum inde sequutum Azor. & Bonac. tom. 2. disp. 3. circa primum Decal. præceptum q. 4. p. ult. §. 7. num. 7. affirmant, licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas juxta suum desiderium nuptus evadere, & idem esse dicunt, si ob illarum causam male tractaretur à marito; posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. Consentit eis Ioann. Sanchez, qui sic inquit; licitum est tibi optare, vel proximo mortem, ob vitandam molestiam infirmitatem, mendicitatem, vitam penalem à marito inflictam, & alia hujus generis, dummodo desideres ut à Deo infligenda, non ab homine iniuste, vel à Demone. Ratio est, quia hujusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo ipsius proximi, quam de bono inde secuturo, ergo non habet malitiam, quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit; cum tota species actus inefficacis ex fine desumatur. Hæc Castrop. qui etiam respondet ad quasdam rationes in contrarium. Recte autem dictum est (morte naturali) nam si occasionem inusitam desiderares, te sine dubio peccaturum, paulo ante vidimus.

8. Vereor autem, ne Bonacina modo à nobis numer. 31. sine allatus, sibi adferatur. In alto enim loca contrarium docuit, ut merito eum pro Castropalano citare potuerit. Ecce Bonacina verba tom. 2. d. 3. circa primum Decal. præceptum, q. 4. p. ult. §. 1. num. 7. cit. jam modo à Castrop. adversantia sui finet verbis dicto num. 31. à nobis allatis. Ex dictis sequitur, eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui malum exoptat ex displicentia personæ, & non ob bonum ipsius, vel alterius. Et paulo post. Secus si gaudeat de malo, vel tristetur de bono ex bono motivo, actus enim inefficax specificatur à motivo, ab eoque bonitatem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicujus tristatur, quia ex recta valitudine occasionem sumit peccandi. Et post pauca. Idem dicendum videtur de matre, que mortem filiaibus exoptat, quia occasione ipsarum male secum agit à marito, aut injuriis afficitur non enim proprie detestatur filias ex displicentia ipsarum, sed in detestationem proprii mali. Hæc Bonac. ex quibus vides opinionem Castrop. esse satis probabilem.

9. Hæc, Tamb. quæ tibi fortasse non arrideant, ne uni Tamburino succenseas, sed Castropalao, sed Bonacina, sed aliis, quorum doctrinam ille refert, & Emanuelli Sæ expurgato à tuo R. M. Sacri Palatii, V. Charitas num. 8. qui, si ejus ratio penetraretur, multum favet dictis à Castropalao.

Nota nihilominus, quam cauta sit horum locutio, (credo, si cum debita moderatione facias) & illud (non est desiderium de malo sed de bono venturo) & illud (est actus inefficax, qui specificatur à bono.)

CAPUT XII.

De rege quoad bellum gerendum.

1. BARON. XI. Nec minus liberalis est in Reges, quam in parvatos. Dat illis